# Praefationes

## ex Missali Romani editio MMII excerptae

PRAEFATIO I DE ADVENTU

*De duobus adventibus Christi*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui, primo adventu in humilitate carnis assumptae,

dispositionis antiquae munus implevit,

nobisque salutis perpetuae tramitem reseravit:

ut, cum secundo venerit in suae gloria maiestatis,

manifesto demum munere capiamus,

quod vigilantes nunc audemus exspectare promissum.

Et ideo cum Angelis et Archangelis,

cum Thronis et Dominationibus,

cumque omni militia caelestis exercitus,

hymnum gloriae tuae canimus,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO II DE ADVENTU

*De duplici exspectatione Christi*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Quem praedixerunt cunctorum praeconia prophetarum,

Virgo Mater ineffabili dilectione sustinuit,

Ioannes cecinit affuturum et adesse monstravit.

Qui suae nativitatis mysterium

tribuit nos praevenire gaudentes,

ut et in oratione pervigiles

et in suis inveniat laudibus exsultantes.

Et ideo cum Angelis et Archangelis,

cum Thronis et Dominationibus,

cumque omni militia caelestis exercitus,

hymnum gloriae tuae canimus,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO I DE NATIVITATE DOMINI

*De Christo luce*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

Quia per incarnati Verbi mysterium

nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit:

ut, dum visibiliter Deum cognoscimus,

per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Et ideo cum Angelis et Archangelis,

cum Thronis et Dominationibus,

cumque omni militia caelestis exercitus,

hymnum gloriae tuae canimus,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO II DE NAVITATE DOMINI

*De restauratione universa in Incarnatione*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui, in huius venerandi festivitate mysterii,

invisibilis in suis, visibilis in nostris apparuit,

et ante tempora genitus esse coepit in tempore;

ut, in se erigens cuncta deiecta,

in integrum restitueret universa,

et hominem perditum ad caelestia regna revocaret.

Unde et nos, cum omnibus Angelis te laudamus,

iucunda celebratione clamantes: Sanctus ...

PRAEFATIO III DE NATIVITATE DOMINI

*De commercio in Incarnatione Verbi*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Per quem hodie commercium nostrae reparationis effulsit,

quia, dum nostra fragilitas a tuo Verbo suscipitur,

humana mortalitas non solum

in perpetuum transit honorem,

sed nos quoque, mirando consortio, reddit aeternos.

Et ideo, choris angelicis sociati,

te laudamus in gaudio confitentes: Sanctus ...

PRAEFATIO DE EPIPHANIA DOMINI

*De Christo lumine gentium*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

Quia ipsum in Christo salutis nostrae mysterium

hodie ad lumen gentium revelasti,

et, cum in substantia nostrae mortalitatis apparuit,

nova nos immortalitatis eius gloria reparasti.

Et ideo cum Angelis et Archangelis,

cum Thronis et Dominationibus,

cumque omni militia caelestis exercitus,

hymnum gloriae tuae canimus,

sine fine dicentes: Sanctus ...

IN BAPTISMATE DOMINI

*Iesu baptizato et orante, apertum est caelum*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

Qui miris signasti mysteriis novum in Iordane lavacrum,

ut, per vocem de caelo delapsam,

habitare Verbum tuum inter homines crederetur;

et, per Spiritum in columbae specie descendentem,

Christus Servus tuus oleo perungi laetitiae

ac mitti ad evangelizandum pauperibus nosceretur.

Et ideo cum caelorum virtutibus

in terris te iugiter celebramus,

maiestati tuae sine fine clamantes:

PRAEFATIO I DE QUADRAGESIMA

*De spiritali significatione Quadragesimae*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Quia fidelibus tuis dignanter concedis

quotannis paschalia sacramenta

in gaudio purificatis mentibus exspectare:

ut, pietatis officia et opera caritatis propensius exsequentes,

frequentatione mysteriorum, quibus renati sunt,

ad gratiae filiorum plenitudinem perducantur.

Et ideo cum Angelis et Archangelis,

cum Thronis et Dominationibus,

cumque omni militia caelestis exercitus,

hymnum gloriae tuae canimus,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO II DE QUADRAGESIMA

*De spiritali paenitentia*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

Qui filiis tuis ad reparandam mentium puritatem,

tempus praecipuum salubriter statuisti,

quo, mente ab inordinatis affectibus expedita,

sic incumberent transituris

ut rebus potius perpetuis inhaererent.

Et ideo, cum Sanctis et Angelis universis,

te collaudamus, sine fine dicentes: Sanctus ...

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA A

*De tentatione Domini*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui quadraginta diebus, terrenis abstinens alimentis,

formam huius observantiae ieiunio dedicavit,

et, omnes evertens antiqui serpentis insidias,

fermentum malitiae nos docuit superare,

ut, paschale mysterium dignis mentibus celebrantes,

ad pascha demum perpetuum transeamus.

Et ideo cum Angelorum atque Sanctorum turba

hymnum laudis tibi canimus, sine fine dicentes: Sanctus ...

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA A

*De transfiguratione Domini*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui, propria morte praenuntiata discipulis,

in monte sancto suam eis aperuit claritatem,

ut per passionem, etiam lege prophetisque testantibus,

ad gloriam resurrectionis perveniri constaret.

Et ideo cum caelorum virtutibus

in terris te iugiter celebramus,

maiestati tuae sine fine clamantes: Sanctus ...

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA A

*De Samaritana*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui, dum aquae sibi petiit potum a Samaritana praeberi,

iam in ea fidei donum ipse creaverat,

et ita eius fidem sitire dignatus est,

ut ignem in illa divini amoris accenderet.

Unde et nos tibi gratias agimus,

et tuas virtutes cum Angelis praedicamus, dicentes: Sanctus ...

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA A

*De caeco nato*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui genus humanum, in tenebris ambulans,

ad fidei claritatem per mysterium incarnationis adduxit,

et, qui servi peccati veteris nascebantur,

per lavacrum regenerationis

in filios adoptionis assumpsit.

Propter quod caelestia tibi atque terrestria

canticum novum concinunt adorando,

et nos, cum omni exercitu Angelorum,

proclamamus, sine fine dicentes: Sanctus ...

DOMINICA V IN QUADRAGESIMA A

*De Lazaro*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Ipse enim verus homo Lazarum flevit amicum,

et Deus aeternus e tumulo suscitavit,

qui, humani generis miseratus,

ad novam vitam sacris mysteriis nos adducit.

Per quem maiestatem tuam adorat exercitus Angelorum,

ante conspectum tuum in aeternitate laetantium.

Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas, deprecamur,

socia exsultatione dicentes: Sanctus ...

FERIA V HEBDOMADAE SANCTAE

*De sacerdotio Christi et de ministerio sacerdotum*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratias agere:
Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:

Qui Unigenitum tuum Sancti Spiritus unctione
novi et aeterni testamenti constituisti Pontificem,
et ineffabili dignatus es dispositione sancire,
ut unicum eius sacerdotium in Ecclesia servaretur.

Ipse enim non solum regali sacerdotio populum acquisitionis exornat,
sed etiam fraterna homines eligit bonitate,
ut sacri sui ministerii fiant manuum impositione participes.

Qui sacrificium renovent, eius nomine, redemptionis humanae,
tuis apparantes filiis paschale convivium,
et plebem tuam sanctam caritate praeveniant, verbo nutriant, reficiant sacramentis.

Qui, vitam pro te fratrumque salute tradentes, ad ipsius Christi nitantur imaginem conformari, et constanter tibi fidem amoremque testentur.

Unde et nos, Domine, cum Angelis et Sanctis universis tibi confitemur, in exsultatione dicentes: Sanctus ...

FERIA V IN CENA DOMINI = PRAEFATIO I DE SS.MA EUCHARISTIA

*De sacrificio et de sacramento Christi*

Vere dignum et iustum est,

aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui, verus aeternusque Sacerdos,

formam sacrificii perennis instituens,

hostiam tibi se primus obtulit salutarem,

et nos, in sui memoriam, praecepit offerre.

Cuius carnem pro nobis immolatam

dum sumimus, roboramur,

et fusum pro nobis sanguinem dum potamus, abluimur.

Et ideo cum Angelis et Archangelis,

cum Thronis et Dominationibus,

cumque omni militia caelestis exercitus,

hymnum gloriae tuae canimus,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO PASCHALIS I

*De mysterio paschali*

cf.: Transition in the Easter Vigil: Becoming Christians

PRAEFATIO PASCHALIS II

*De vita nova in Christo*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare:
Te quidem, Domine, omni tempore confiteri,
sed in hoc potissimum gloriosius praedicare,
cum Pascha nostrum immolatus est Christus.

Per quem in aeternam vitam filii lucis oriuntur,
et regni caelestis atria fidelibus reserantur.

Quia mors nostra est eius morte redempta,
et in eius resurrectione vita omnium resurrexit.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,
totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates
hymnum gloriae tuae concinunt,
sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO PASCHALIS III

*De Christo vivente et semper interpellante pro nobis*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare:

Te quidem, Domine, omni tempore confiteri,

sed in hoc potissimum gloriosius praedicare,

cum Pascha nostrum immolatus est Christus.

Qui se pro nobis offerre non desinit,

nosque apud te perenni advocatione defendit;

qui immolatus iam non moritur,

sed semper vivit occisus.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,

totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates

hymnum gloriae tuae concinunt,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO PASCHALIS IV

*De restauratione universi per mysterium paschale*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare:

Te quidem, Domine, omni tempore confiteri,

sed in hoc potissimum gloriosius praedicare,

cum Pascha nostrum immolatus est Christus.

Quia, vetustate destructa, renovantur universa deiecta, et vitae nobis in Christo reparatur integritas.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,

totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates

hymnum gloriae tuae concinunt,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO PASCHALIS V

*De Christo sacerdote et victima*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare:

Te quidem, Domine, omni tempore confiteri,

sed in hoc potissimum gloriosius praedicare,

cum Pascha nostrum immolatus est Christus.

Qui, oblatione corporis sui,

antiqua sacrificia in crucis veritate perfecit,

et, seipsum tibi pro nostra salute commendans,

idem sacerdos, altare et agnus exhibuit.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,

totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates

hymnum gloriae tuae concinunt,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO I DE ASCENSIONE DOMINI

*De mysterio Ascensionis*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:

Quia Dominus Iesus, Rex gloriae,

peccati triumphator et mortis,

mirantibus Angelis, ascendit (hodie)summa caelorum,

Mediator Dei et hominum,

Iudex mundi Dominusque virtutum;

non ut a nostra humilitate discederet,

sed ut illuc confideremus, sua membra, nos subsequi

quo ipse, caput nostrum principiumque, praecessit.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,

totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates

hymnum gloriae tuae concinunt,

sine fine dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO II DE ASCENSIONE DOMINI

*De mysterio Ascensionis*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:

per Christum Dominum nostrum.

Qui post resurrectionem suam

omnibus discipulis suis manifestus apparuit,

et ipsis cernentibus est elevatus in caelum,

ut nos divinitatis suae tribueret esse participes.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,

totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates

hymnum gloriae tuae concinunt,

sine fine dicentes: Sanctus ...

DOMINICA PENTECOSTES

*De mysterio Pentecostes*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater,

omnipotens aeterne Deus.

Tu enim, sacramentum paschale consummans,

quibus, per Unigeniti tui consortium,

filios adoptionis esse tribuisti,

hodie Spiritum Sanctum es largitus;

qui, principio nascentis Ecclesiae,

et cunctis gentibus scientiam indidit deitatis,

et linguarum diversitatem in unius fidei confessione sociavit.

Quapropter, profusis paschalibus gaudiis,

totus in orbe terrarum mundus exsultat.

Sed et supernae virtutes atque angelicae potestates

hymnum gloriae tuae concinunt,

sine fine dicentes: Sanctus ...

SOLLEMNITAS SANCTISSIMAE TRINITATIS

*De mysterio Sanctissimae Trinitatis*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:

Qui cum Unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto

unus es Deus, unus es Dominus:

non in unius singularitate personae,

sed in unius Trinitate substantiae.

Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus,

hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto,

sine discretione sentimus.

Ut, in confessione verae sempiternaeque Deitatis,

et in personis proprietas,

et in essentia unitas,

et in maiestate adoretur aequalitas.

Quem laudant Angeli atque Archangeli,

Cherubim quoque ac Seraphim,

qui non cessant clamare cotidie, una voce dicentes: Sanctus ...

DIE 22 IULII S. MARIAE MAGDALENAE FESTUM

*De apostolorum apostola*

Vere dignum et iustum est,

æquum et salutare,

nos te, Pater omnipotens,

cuius non minor est misericordia quam potestas,

in omnibus prædicare per Christum Dominum nostrum.

Qui in hortu manifestus apparuit Mariæ Magdalenæ,

quippe quae eum dilexerat viventem,

in cruce viderat morientem,

quæsierat in sepulcro iacentem,

ac prima adoraverat a mortuis resurgentem,

et eam apostolatus officio coram apostolis honoravit

ut bonum novæ vitæ nuntium

ad mundi fines perveniret.

Unde et nos, Domine, cum Angelis et Sanctis universis

tibi confitemur, in exsultatione dicentes: Sanctus ...

PRAEFATIO III DE DOMINICIS “PER ANNUM”

*De salvatione hominis per hominem*

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,

nos tibi semper et ubique gratias agere:

Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus:

Ad cuius immensam gloriam pertinere cognoscimus

ut mortalibus tua deitate succurreres;

sed et nobis provideres de ipsa

mortalitate nostra remedium,

et perditos quosque unde perierant, inde salvares,

per Christum Dominum nostrum.

Per quem maiestatem tuam adorat exercitus Angelorum,

ante conspectum tuum in aeternitate laetantium.

Cum quibus et nostras voces

ut admitti iubeas, deprecamur,

socia exsultatione dicentes: Sanctus